

Morte turpissima condemnemus eum.

Léctio libri Sapiéntiæ

2, 12. 17-20

Dixerunt ímpii:

¹² «**C**ircumveniámus iustum,
quóniam inútilis est nobis
et contrárius est opéribus nostris
et impróperat nobis peccáta legis
et diffámat in nos peccáta disciplínæ nostræ.

[13-16]

¹⁷ Videámus ergo, si sermónes illíus veri sint,
et tentémus, quæ in éxitu eius erunt:

¹⁸ si enim est verus filius Dei, suscípiet illum
et liberábit eum de mánibus contrariórum.

¹⁹ Contumélia et torménto interrogémus eum,
ut sciámus modéstiam eius
et probémus patiéntiam illíus;

²⁰ morte turpíssima condemnémus eum:
erit enim ei visitátio ex sermónibus illíus».

Verbum Dómini.